Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Emerentiana autem que fuerat collactanea eius uirgo
sanctissima licet catecumina constanter intrepida
stabat inmobilis et his uerbis increpabat paga-
nos dicens ad eos: Superflui miseri caduci atque
atrocissimi qui dominum omnipotentem colunt occidi-
tis et innocentes homines lapidibus iugula-
tis. Hec et his similia dum turbis furentibus
diceret lapidata est ab eis et orans iuxta se-
pulchrum sancte Agnetis beatissima Emerentia-
na emisit spiritum. Non dubium est quod in suo
sanguine sit baptizata que pro defensione
iusticie dum confiteretur dominum mortem constanter
excepit. Eadem denique hora fit terre motus ue-
hementissimus et cum nimia celi esset serenitas
tante coruscationes tantaque fulgura ac to-
nitrua extiterunt ut pars maxima insani
populi expiraret. Unde factum est ut nullus penitus
ex eo aduenientibus ad sepulchra sanctorum aliquas
molestias excitaret. Uenientes autem paren-
tes beate Agnetis cum sacerdotibus nocte abstu-
lerunt corpus sancte uirginis Agnetis. Igitur dum pa-
rentes sancte Agnetis assiduis pernoctationibus
uigilarent ad tumulum eius uiderunt in me-
dio noctis silentio exercitum uirginum que omnes
auro textis cicladibus indute cum ingen-
ti lumine preibant. Inter quas uident et iam
beatissimam Agnen simili ueste fulgen-
tem et ad dexteram eius agnum niue can-
didiorem. Hec itaque dum uiderent paren-
tes eius et qui simul erant stuporem mentis in-
currerunt. Sed beata Agnes rogat sanctas
uirgines parumper figere gradum et stans pa-
rentibus dixit: Uidete ne me quasi mortuam
lugeatis sed congaudete mecum atque congratu-
lamini quia cum his omnibus lucidas sedes
accepi et illi sum iuncta in celis quem in ter-
ris posita tota animi intentione dilexi.
Et his dictis pertransiit. Hec uisio publice
ab omnibus qui aderant diuulgabatur. Unde fac-
tum est ut post aliquantos annos ad Constantiam Con-
stantini augusti filiam hoc factum ab his qui
uiderant narraretur. Erat autem ipsa Constan-
tia regina uirgo prudentissima sed ita
obsessa uulneribus ut a capite usque ad
pedes nulla membrorum pars uiua rema-
sisset. Accepto autem consilio spe recuperan-
de salutis uenit ad tumulum martyris noc-
te et licet pagana tamen credula animi
intentione preces fideliter effundebat.
Quod cum faceret repentini somni suaui-
tate corripitur et uidet per uisum Ag-
nen beatissimam talia sibi monita proferentem: Con-
stanter age Constantia et crede dominum Ihesum Christum
filium dei esse saluatorem tuum per quem modo conseque-
ris omnium uulnerum que in corpore tuo pateris
sanitatem. Ad hanc uocem Constantia euigilat
sana et sic sana ut nec signum alicuius uul-
neris in eius membris remansisset. Reuersa igitur ad
palatium sanissima fecit gaudium patri augusto
et fratribus suis imperatoribus. Coronatur tota ciui-
tas. Sic leticia et militantibus et p[...] uatis
atque uniuersis audientibus hec infidelitas
gentilium confundebatur et fides dominica letabatur.
Interea petiit patrem et fratres augustos ut basilica
beate Agnetis construeretur et sibi illic mausoleum
collocare precepit. Currit autem hec opinio ad
omnes et quicumque credentes ad tumulum aduenerunt
saluabantur a quacumque fuissent infirmitate
detenti. Quod facere Christum nullus ambigat usque
in hodiernum diem. Perseuerauit autem Constantia augusta
filia in uirginitate Christi per quam multe uirgines
et mediocres et nobiles et illustres sacra ue-
lamina susceperunt. Et quia fides mortis dampna
non patitur usque hodie mente uirgines Roma-
ne Agnen beatissimam quasi in corpore manentem
attendunt et eius exemplo prouocate uiriliter in-
tegre perseuerant credentes sine dubio quod perse-
uerantes perpetue uictorie palmam acquirant.
Hec ego Ambrosius seruus Christi dum uoluminibus
abditis inuenissem scripta non sum passus infruc-
tuoso silentio tegi. Ad honorem igitur tante martyris
sicut gesta noui conscripsi et ad edificationem uestram
o uirgines Christi textum passionis eius edidi destinan-
dum obsecrans karitatem spiritus sancti ut labor noster
in uestra imitatione fructum in conspectu domini uale-
at inuenire.

Passio Uincentii martyris.

PROBABILE SATIS est ad
gloriam Uincentii martyris
quod descripto passionis ipsius
titulo inuidus extitit ini-
micus. Unde reddimus fide ple-
na relata gestorum que lit-
terarum apicibus annotari non inmeri-
to noluit qui uictum se erubescebat au-
diri. Natalis quippe prudentia est male
errantium auferre de medio testimo-
nia probitatis.

IGITUR cum apud cesaream augustam ciuitatem ut
multorum sinceritas et signata ueritatis uerba
testantur Datiano cuidam presidi gentili et
sacrilego ex dominis suis et principibus seuiendi
in christianos exoptata officiuncula cecidisset